



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 14. Utriusque Comitum supplicium, atque obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI  
A.C. 1568.

„gnoveris ea, quæ hic sunt gesta, pla-  
 „ne intellecturus sis, quanta mecum  
 „injuria sit actum, dum tibi de me per-  
 „suaserunt id, quod ne cogitaverim qui-  
 „dem, cujus rei testem appello Deum,  
 „precorque, ut huic animæ ante faciem  
 „ejus hodie sistendæ reddat, si quid e-  
 „misi ex iis, quæ Regi, provinciisque  
 „debere me credidi: oro itaque te, Do-  
 „mine, nihil ultra oraturus, ut pro  
 „mercede laborum, officiorumque meo-  
 „rum, commiseratio te capiat aliqua  
 „conjugis meæ, atque undecim libero-  
 „rum, famulorumque, quos paucis ali-  
 „quot amicis commendatos relinquo:  
 „id vero facturum te pro tua innata  
 „clementia, mihi certo persuadens,  
 „vado mortem subiturus, quam exci-  
 „pio libentissime, certus hoc meo fine  
 „multis satisfactum iri. Bruxellis quin-  
 „ta Junii duabus a media nocte horis,  
 „anno millesimo quingentesimo sexage-  
 „simo octavo. Majestatis tuæ humil-  
 „limus, fidelissimus, atque obsequen-  
 „tissimus subditus, ac famulus mori  
 „paratus, Lamoralis Egmontius.

## §. XIV.

*Utriusque Comitis supplicium, atque  
 obitus.*

*Thu. Strad.  
 i. c. Grotius  
 pag. 29.*

Hanc epistolam Regi transmittendam  
 Egmontius tradebat Martino Ri-  
 thorio



Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

thovio Iprensi Episcopo, qui Comiti, ut  
 eum in mortis lucta juvaret, assigna-  
 batur: igitur Egmontius vitæ noxis  
 apud eundem Præsulem confessione  
 expiatis reliquum noctis tempus inter  
 orationes transigebat, sese ad mortem  
 subeundam parans. Hornius quidem  
 Comes ab initio, cum se jamjam sua  
 peccata confessum diceret, conscientiæ  
 suæ maculas huic Prælato aperire re-  
 nuebat, tandem vero ad Egmontii Co-  
 mitis exemplum ipse quoque a crimi-  
 num vinculis exsolvi petiit, unde etiam  
 ab eodem Episcopo expiationem rece-  
 pit. Denique altera die ipso pervigi-  
 lio Pentecostes conspectum est in pub-  
 lico foro Juliani Romeri Legionis ob-  
 fesso, ferale pegma, pullo instratum pan-  
 no, ac duobus pulvinis ante argenteam  
 Christi patientis effigiem: porro eo per-  
 ductus sub meridiem Egmontius Co-  
 mes, comitantibus Iprensi Episcopo, ac  
 Romero post aliquot pias preces, da-  
 mascena toga sese exuit, abjectoque pi-  
 leo, ac paulum cum Iprensi Antistite  
 collocutus, in genua procidit venera-  
 bundus ante crucem, nocturnoque ca-  
 pitis tegumento ad oculos producto, a  
 carnifice, qui sub pegmate latuerat,  
 obtruncatus est: tum Comes nonnisi  
 quadragesimum sextum ætatis suæ an-  
 num agebat.

R 5

Post-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1569.

Postquam igitur is vita excefferat, corpus ejus nigro velo obtegebatur, mox vero Hornius Comes quinguagenarius ad supplicii locum adductus est, qui delicta sua multiplicia coram Deo confessus, fausta omnia adstantibus precabatur, eosque, ut secum pro ipso ad Deum preces fundere velint, rogabat: principem vero se offendisse eo, quo inquirebatur, modo sæpius postulatus, fateri recusabat, tandem exuto pallio supra pulvillum procubuit, & commendata in Dei manus anima a carnifice capite plexus est.

His peractis utriusque capita ad spectaculum pilis ferreis suffixa duabus ferme horis prostituerunt, corpora vero a ministris loculo plumbeo condita, in proximo Sanctæ Claræ fano deposita primum, & postea Egmontii Comitis Cadaver Sottegemi oppido suo in Flandria, Hornani autem Comitis corpus Campiniæ in Brabantia sepultum est.

§. XV.

*Expeditio Albæ Ducis in Frisiam.*

Strad. l. c.  
Tev. l. 43.

Peracto utriusque Comitis supplicio Albæ Dux toto impetu in Frisiam movere statuit, ubi initis pluribus præliis levioribus tandem ad Gemingam urbem plenam de Ludovico Nassovio victoriam die vigesima prima Julii reportabat.

§. XVI.